



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Rota, seu Rotense monasterium, ad Oenum fl. supra Vvasserburgium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

*Rota, seu Rotense monasterium, ad Oenum fl.
supra Vvasserburgium.*

DE fundatione huius monasterij nihil certius potest tradi, quam ipsum Henrici quarti Imperatoris diploma, quod ibi integrum ac illæsum extat.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hæricus diuina fauente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus; ideo fidelis nostri Cononis Palatini memoriam posteris transmittimus, quæ præterea semper in benedictione erit, quod Deum & S. Petrum omnium rerum suarum heredem reliquit. Habuit enim duos liberos, quibus substantiam suam diuisit, Cononem scilicet & Irmingardam, quæ cum marito traderetur, portionem sibi debitam accepit, & de parte reliqua omnem calumniam legitime refutauit. Deinde filius quoque duxit uxorem, celebratisq; nuptijs, dum multi conuenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua, ne in die bonorum immemores essent malorum, & ut illi, qui omnia dedit, aliquid tribuerent. Conuenerunt ergo in hoc, ut in loco & fundo, qui dicitur Rota, quem præterfluit Oenus fluuius, qui etiam in Comitatu Arnolphi Comitum monasterium construerent, ibiq; monachos Deo famulantes congregarent. Placuit sic filio, placuit nurui, simulq; cum parentibus ad altare Sanctorum Martini et Aniani, procedentes tradiderunt Deo & SS. eius

quid

quidquid in regno nostro possederunt, si absq³ liberis obirent. Nurus quoq³ dotem quam ex marito acceperat, monasterio in legitimam possessionē tradidit, cum omni patrimonio quod in Lotaringia possederat, si ex eodem marito Conone liberos non generaret. Euolutis autem aliquot diebus, filius ad seruitium nostrum vocatus, in bello cecidit, & sic omnis hereditas ad monasterij ius, cui traditum fuerat, redijt. Orbatus verò pater tota mente ad Deum conuertitur, sublatoq³ corpore filij, & assumpta nuru, quæ sine prole remanserat, ad monasterium properat, exequias celebrat, celebratisq³ exequijs traditionem renouauit. Dat socer hereditatem, nurus dotem non conditionaliter, vt prius, sed perfectè Deo & Sanctis eius in perpetuum; offeruntur viri militares, qui dicuntur ministeriales, cum prædijs & possessionibus suis, quos domi forisq³ custodes lateris habebat, quibus etiam iura statuit, vt monasterij gloriam teneant, & Abbatibus libere ac regulariter substituendis honesto loco, gradu & ordine deseruiant. Traduntur familia diuersæ sexus & ætatis, quibus etiam tertiam partem seruitij sui relaxauit; hisq³ dispositis, traditionem consummat, & prædia plurima Deo & fratribus regulariter viuentibus confert &c. Confirmauit hæc omnia Henricus Imp.

Ratisbonæ anno 1073.

Ita Hundius.